

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0831

0829

0835

0825

0840

0820

0880

0780

0930

0730

0330

Ende

Anfang

258

138. Inde autem moventes exercitum ex Cilicia per multas diaetas in Coelesyriam venerunt ad gloriosam civitatem Antiochiam, quae quondam tertiam post Romam dignitatem grandem sortita omnium provinciarum, quas tractus continet orientalis, princeps et moderatrix erat. Haec priscis temporibus dicebatur Riblatha, 2. Reg. 25. et 6., Jerem. 39. et 6., et in ea occisi fuerunt filii Sedechia regis Jerusalem in oculis suis, et regi oculi eruti etc. Hanc post mortem Alexandri Magni Macedonis Antiochus muris et turribus munitam sedem regni sui fecit eamque ex suo nomine Antiochiam vocavit. In hac Apostolorum princeps, Petrus, septem annis episcopus sedit, doctrinis et miraculis illustris. In ea primus fidelium habitus est conventus, in quo etiam Christianorum nomen dedicatum est; prius enim, qui Christi sectabantur doctrinam, Nazarei vel discipuli dicebantur, postmodum a Christo deducto nomine auctoritate illius synodi universi fideles dicti sunt Christiani, sicut patet Actor. II. Ejus vero civitatis patriarcha XX provincias in sua jurisdictione habere dicitur.

Sita autem est ipsa in provincia Coelesyriae habetque commodissimam et amoenissimam positionem. Est ea fontibus et rivis paene tota irrigua, intra ambitum autem civitatis clauduntur duo montes nimiae altitudinis, in quorum alterius vertice, qui videtur eminentior, situm est praesidium munitissimum, qui duo montes valle profundissima sed angusta separantur, per quam torrens dimissus per medium influit civitatem. Longitudinem autem civitatis quidam duo, quidam tria millaria italica habere asserunt, et a mari distat decem vel XII milliaribus. Hujus egregiae urbis jamdudum Turci sibi usurparunt dominium, quam tamen ipse Machometus dum viveret, accedere ausus non fuit. Verum in suo Alcorano ponit quatuor civitates, duas benedictas et sanctas, scilicet Jerusalem et Mecham, et duas maledictas, scilicet Antiochiam et Romam.

In ejus obsidione dominabatur ibi quidam Turcus magnus, dictus Evexianus de Perside. Venientes itaque nostri hanc munitissimam civitatem octo continuis obsederunt mensibus, in qua obsidione noster exercitus sane cruciabatur et frequenti civium inopinata eruptione molestabatur, et multa

